



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De diligentia. Cap. 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

sæpè desperanda, in spem contra spem credidit, & supra multorum fidem vicit? Nihil responderi aptius potest, quàm magnanimitati omnia cedere.

28 Fratres ergò nostri, tametsi consistât aduersus eos castra, nobilissimæ Virginis, & matris nostræ se filios exhibeant, & in cultu virtutum, nihil non magnū satis esse credant: congressibus vitiorū, & hostium viriliter assuescant; & ad sanctorum consortium, honestissimā (si oportuerit) morte suspirent.

De diligentia.

Cap. XIX.

1 Nihil non modò magnum, quod est eius virtutis, quam proximè commendauimus, sed nè bonum quidem, sine diligentia, quæ & appellatur sollicitudo, præstari potest.

2 Est autem diligentia animi studium, cum expeditione ad aliquid agendum, & pertinet ad prudentiam, è cuius acie virtutem hanc solam elegimus; quod tractatus prudentiæ iunioribus fratribus parùm congruat: tota quippè illorum prudentia in vno Ma-

gistro suo posita est : nec sine culpa illa
 usurparent. Cum enim proprius pru-
 dentia actus, qui & intellectu practico
 sit præceptum : quantum à subditis
 abest præcipiendi auctoritas, tantum
 prudentia illius usura debet abesse.

3 Si qua tamè prudentia pars eis consen-
 tit, ea sit, necesse est, quæ ad Superiore
 hominis portionem pertinet : quæ rati-
 onis præscriptionibus iuxta Dei præ-
 cepta, inferiorem portionem debet mo-
 derari ; at & hac ipsa non sine Magistri
 censura, utendum est.

4 Tutissima verò prudentia pars, quæ
 subditis quadrat, in vera Obedientia
 collocatur, cui dum nauant operam, fi-
 eri nequit, ut imprudentes sint, cum
 Dei consilio regantur.

5 Sed sollicitudo, seu diligentia, quæ &
 Obedientiam, & alias virtutes omnes
 aspicere debet, vniuersis Iesu Christi fa-
 mulis, peculiariter quæ iunioribus com-
 mendatur, tanquam modus quidam
 necessarius, quem opera Dei cuncta re-
 quirunt : & quo in schola virtutum sæ-
 liciter proficitur.

6 Expeditio quippè ad virtutum actus
 obeun-

obeundos, animã mirificè promouet, ac simillimã spiritibus Angelicis efficit. Illi enim ad iniũcta opera promptissimè volant, sicut scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem: tam enim spiritus, quã ignis nomina mirã velocitatẽ significãt.

7 Ex quo apertè cernimus diligentia virtutem Angelicam esse, ac proindè alacritatem, & celeritatem illam, quæ coelestis curiẽ ad obtemperandum Deo propria est, in claustris repræsentare. Qua certè laude tantam præfert honestatem, vt homines velut expertes corporis, in Angelorum agmina transferat.

8 Nec sanè inutilis translatio est: immò hac vna virtus cæterarum omnium lucra mirificè auget: cum eas ad suorũ actuum intensiõnem, ac perfectionem impellit: vt mirum sit è duobus Monachis eosdẽ actus exercẽtibus, æquali tẽpore perseuerantibus alterũ decuplo sanctiorẽ altero esse, ob vnum diligentia minoris, maior sue discrimen, quod obseruatione dignissimum est, & animos vehementer incitare deberet.

9 Ex illa verò promptitudine, & agilitate cœlesti multiplex oritur delectatio: virtus quippè, dum exactius exercetur, lætitiā procreat: & Clementissimus Deus hilares datores, quos ardentius diligit, hac etiam in valle cumulatiùs consolatur.

10 Videtur certè (humanum dicimus) Rex ille liberalissimus singularem ex diligentia virtute sibi delectationem elicere, more Imperatorum, qui dum strenuos milites expeditè se armis exercentes intuentur, impensè delectantur, ac ipsomet oblectamento fiunt ad munera propensi: sicut enim negligentes animi, quasi plumbei forent, ad opus tardè, ac invidi procedunt, & spectantis Dei oculos grauitè offendunt: sic celeres, ac hilares ad laborem festinantes oculis eisdem impendiò placent, & ad largitionem alliciunt.

11 Quapropter æquum est, Fratres nostros esse sollicitos, & excussa carnis desideria, in agone hoc spectanti Deo placere, vna præceptione hac prudentiam iustorum totam amplecti. sed actus diligentia perscribamus.

E X E M P L V M.

Actus interni.

12 **A** Mantissime Deus, decerno ad opera tibi grata, me per totius vitæ cursum expedire.

Dulcissime Domine, exultabo vt gigas ad currendam viam.

Clementissime Deus, somnum, acediam, & quicquid graue mihi obstiterit, excutiam.

Optatissime Domine, ad Canonicas horas, Orationem, Concionem, & reliquos Instituti nostri actus, omnium primus accurere nitar.

Abfit à me Domine, vt signo dato, vel per momentum, immorer.

Benignissime Deus, in actibus exercendis, vt in Officio Diuino, Oratione, attentissimus ero.

Non feram Domine, vt ob calorem languor, vel ob frigus inertia præualeat.

Ero, Domine, vigil, & alacer, ad omnem Obedientiæ, ac omnium aliarum virtutum actum obeundum.

13 **E**Xploratum est occasiones diligentia colenda penè innumeras esse; in omni quippè actu, mirū est, quā familiariter negligentia obrepat, & quā infeliciter meritum vel diminuat, vel extinguat: qua de causa, cum hoste hoc fortiter congregiendum est.

14 Actus ergò externi vbique frequentandi: cum ad horas, præsertim matutinas pulsatur, celerrime surgendum, vel lecto exiliendum: nec tūc semper corpori excretionis necessitatem simulandi credendum: cum oratur, omnis languor, & corporis remissio excutienda, & sensus, ac mēbra cōponenda. Cū habet cōcio, vel exhortatio, attentio multa præstanda, & omnis corporis motio, & euagatio mentis vitanda: Cum inceditur, statur, sedetur, nullum tædium, lassitudo nulla, inhabilitas nulla ostendenda: cum laboratur, seriò agendum: cum quippiam legitur, aut Missæ ministratur (seclusa deuotionis specie, quæ tūc importuna est) accuratè attendendū, & alia similia (quæ multa, & varia sunt) sic

fic efficienda, vt & animus, & corpus operi coaptentur, nè ad eius perfectionem pars vlla defit.

15 Hæc est sanctorum disciplina, quæ quamuis corpori seuera videatur, habet tamen honestatem, & emolumenta maxima, quibus labor omnis abundè cõpensatur: & multis dånis formidabilibus caret: q̄ his rationibus astruimus.

16 Prætexitur labor. Sed nunquid non succrescit labor, & molestia maior, si cor desidia relaxetur? si Officiũ diuinũ omninò recitandum (Vt ex hoc exemplo cætera pateant) nunquid non laboriosius est, cum negligentia fastidijs ad singulos ferè versus subeuntibus, horã integrã perdurare, quàm in torpore illo nõnullis cordis erectionibus valide discussio, idẽ tẽpus vigilãter insumere?

17 Deinde meritum laboris illiº tædio vel decrescit, vel deficit, sollicitudine augetur: est ergò sanius, acedia arcere.

18 Dolendum profectò est quàm segniter Iesu Christi famuli hoc in genere agant: cum filij Agar, qui exquirunt prudentiã, quæ de terra est, negotiatores terræ, & Themam, & exquisito-

res intelligentiæ, qui coaceruant aurū, in quo confidunt homines, & argentū sine fine thesaurizāt, adeò solliciti sint?

19 Quàm impigrè mercatores, exceptores, nautæ, & ferè quotquot opifices parāt ea, quibus alitur vita præsens, noctes ducunt infornes, & solē nimis citò exoriri queruntur? quoties capitis, stomachi, renumq; dolores perferunt, nè operarum suarum feriem interumpāt, & finem acquirendi faciant?

20 Quænam sollicitudo est illa, quæ homines diuitiarum auidissimos ultra Oceanum pellit? Poterant domi requiescere: nam præsens vita modicis rebus eget: & tamen, quia ditiores euadere possunt, requiem sponte sua relinquūt, & se innumeris periculis, & laboribus committunt.

21 Rerum ergò statu, ac ordine perpèso, planum efficitur pro rebus ceteris perituris homines esse sollicitos in sola verò salutis æternæ causâ pigritari; & quotidianis colloquijs, & negotiorū expeditionib⁹ adhuc apperti⁹ patet.

22 Cū enim à summis Pontificibus, vel Regibus aliquid obtinendū est, quis ignorat

ignorat, ad libellos supplices offerēdos, ad eos, qui gratiā valent, sibi concilian- dos, ad cætera tentanda, vigilias, itinera incōmoda diligentissimè suscipi, & to- lerari? solę viæ Sion lugent, eo quòd nō sint, qui veniant ad solennitatem.

23 At verò quicquid erga rem hanc promiā nobis posset, cum prodigiosa hominum, pro rebus caducis, sollicitu- dine collatum exiguum esset: quò enim minus viæ restat, eò plus viatici contra- hent: senes quippè, quibus, quod in ado- lescentia, seu iuuentute parārūt, ad pau- eos vitæ dies reliquos satis esse deberet, eò diligētius avaritiæ student, quò pro- pinquior interitus imminet: qui stultif- simus error est: qualis fuit illius nimirū solliciti, cui dictum est: Stulte hac nocte reperunt animam tuam à te.

24 Cur ergò Iesu Christi cultores, qui tot mundi portenta præ oculis habent, quibus eorum inertia reprehenditur, in requiem sempiternam ingredi, ad Apo- stoli monitum, non festinent? Profectò, si ante mille sexcentos (paulo minus) annos diligentia valdè necessaria Paulo visa est, vt patet ex illo: Hora est iā nos
de

de somno surgere: nunc enim proprior est nostra salus, quàm cum credidimus: & modò quoque instante mundi occasu, & cuiusque nostrum morte, diligentia, & expeditio velocissima necessaria erit: quis enim non animaduertit, ià esse horam è somno surgendi?

25 Et quidem quicquid de mundi, ac vniuscuiusque hominis occasu dicendū sit, exploratum est, perfectionis Christianæ longam nobis superesse viā: quod licet alij Christiani obliuioni traderent, nobis tamen nunquam deberet excidere; cū protoparenti nostro Eliæ ab Angelo dictum fuerit: Surge, comede, & bi be; grandis enim tibi restat via. Si ergò viam hanc sumus emensuri, quomodò ad cursum nō acrius incitamur?

26 Etenim omnes morimur, vt dixit mulier illa sapiens, & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertuntur: omnes itaque vel inuiti ad incertam sed propinquam mortem festinamus; & in hac ipsa properatione aliqui videtes exiguum, & cum tædio esse tempus vitæ nostræ, bona præsentia, & oblectamenta diligentissimè conquirunt, hortantes

tantes & aiētes: Venite, fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Alij multò pauciores aiunt: Ieiunemus & oremus, nè subito præoccupati die mortis quæram⁹ spatium pœnitentiæ, & inuenire nō possimas. Eligant ergò fratres nostri, quam sortem conscientia probat.

27 Sed quid gens sancta, hæreditas acquisitionis filij Dei, pars Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius eligere potest? Si propterandum est, an eò non curratur, vbi latabuntur, sicut exultant victores capta præda? sint pedes aliorum veloces ad affundendū sanguinem; nos verò æmulatione perenni, expeditione ceruorum fugiamus è medio Babylonis, & ad montem Dei coagulatum ascendamus.

28 Certè cui semel innotuit regio viuorum, non solum die, sed nocte quoque præ sollicitudine laborat: gustauit enim & vidit, quia bona est negotiatio eius. & ideò non extinguetur in nocte lucerna eius. His ergò monitis fratres nostri expergiscantur, & viam cœptam celerissime conficiant.

Da